

In diébus illis:

- ⁸ Venit Amalec et pugnabat contra Israel in Ráphidim.
- ⁹ Dixítque Móyses ad Iósue:
«Elige nobis viros et egréssus pugna contra Amalec;
cras ego stabo in vértice collis
habens virgam Dei in manu mea».
- ¹⁰ Fecit Iósue, ut locútus erat ei Móyses,
et pugnávit contra Amalec;
Móyses autem et Aaron et Hur
ascendérunt super vérticem collis.
- ¹¹ Cumque leváret Móyses manus, vincébat Israel;
sin autem remisisset, superábat Amalec.
- ¹² Manus autem Móysi erant graves;
suméntes ígitur lápidem
posuérunt subter eum, in quo sedit;
Aaron autem et Hur sustentábant manus eius
ex utráque parte.
Et factum est ut manus eius non lassaréntur
usque ad occásum solis.
- ¹³ Vicítque Iósue Amalec et pópulum eius in ore gládii.
- Verbum Dómini.